

W

Q. D. B. V.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO, AC DOMINO,
DOMINO

FRIDERICO AVGVSTO,

ELECT. SAX. HEREDE,
DOMINO SVO CLEMENTISSIMO,
EX PRVDENTIA MORALI,

De

MOTIVIS VO-
LVNTATIS,

PRAESIDE
DOMINO

CHRISTIANO Röhrensee/

Philosoph. Pract. Prof. Publ. & Alumn. Elect.

Ephoro,

Patrono, Praeceptore, ac Studiorum suorum Ampli-
ficatore sancte semper Observando,

publice differet

AVCTOR,

M. PETRVS JAENICHIVS,

Furstenberga Lusatus.

Ad D. XVII. Iun. cl. lccII.

VITEMBERGAE, TYPIS KREYSIGIANIS,

coll. diss. A
83, 10

79

a. XCVIII. 10.

4

12

RECTORI UNIVERSITATIS
SERENISSIMO FRIDERICO AVGVSTO
DOMINO
FRIDERICO AVGVSTO
DOMINO
FRIDERICO AVGVSTO
DOMINO

MOTIVIS
LIVITATIS
DOMINO



CHRISTIANO
M. PETRVS JENNICHVS

+



A. Ω.



E iis, quae voluntatem movent, im-
praesens dicturi, opus omnino esse ar-
bitramur, ut, quid voluntas sit, adji-
ciamus, ne *εὐμεθοσίας* leges migrasse,
neve obscuritatibus, quae lectorem
remorari possent, rem implicasse vi-
deamur. Ut vero eo melius nostro
consulatur negotio, atque nos inoffenso pede tuto progre-
diamur, Magistri vestigiis insistendum esse duximus, in hoc
imitati probi militis exemplum, presso pede ducem su-
um sequentis, tumque se sine periculo esse rati, cum &
dictorum & factorum ducis sit observantissimus. Eum
vero in modum *Praeses Excellent. Patronus meus studio-
rumque meorum Amplificator nunquam non suspiciendus* vo-
luntatem describit in *Part. II. suae prudentiae moralis c. 3.*
*§. 2. Quod sit appetitus animae rationalis, quae feratur li-
bere in id, quod ratio bonum judicavit & aversetur, quod
ista tanquam malum apprehendit.*

§. 2. Primo omnium hic voluntati sua est asseren-
da libertas, in qua fundamentum perpetuum & immuta-
bile omnis moralitatis positum esse, recte judicat *Slevog-*

A. 2

tits

tus Disput. II. de Indifferent. volunt. §. 26. Et Puffendorf. in de jure. N. Et G. libro I. cap. IV. Haec enim si tollatur, frustra Magistratus vel in sanciendo legibus, vel coercendo improbis laborabit, cum quilibet vim impellentem suae improbitati praetendens, omnem a se poterit culpam poenamque amoliri. Atque sic culpa est τῷ πράττοντι, ἀλλὰ βιαζομένῳ imputanda, uti habet *Simplicius in Commentar. ad Epictet. c. 34.* & nescio an quisquam melius hanc expenderit rem, quam is, quem modo citavi, *Simplicius*: ita enim c. 34. inquit: καὶ φύσιν δὲ ἀμφίβολον ἔλαχεν ἀναγκαζομένη κάττεισιν ἢ ἀνεῖσιν ἀλλ' ἕτως ὑπέστη, ὡς ὅταν αὐτὴ θέλη κατιέναι ἢ ἀνιέναι. Comparat videlicet animam hominis cum Amphibio, illudque hoc ipso obtinere cupit, quod homo vel in bono vel in malo vivere possit. Paulo enim ante de origine mali disputans, quod omne a libera hominis voluntate derivat, eamque μέσσην inter bonum & malum προσελθῆσαν asserit, & recte: ἡ ψυχὴ ἐνεργεῖ αὐτὴ ἐξουσίῳς, statim adjicit idem ille. Eodem modo & *Seneca* illam sui juris appellat *Lib. III. de Benefic. c. 20.* Neque vero hic libertatem tantum a coactione intelligimus, prouti immunis est ab externa vi & impulsu, quantum opere etiam membra corporis discrucientur, & simul anima quoque haud leviter affligatur, beneficio illius mutui, quod ei cum corpore intercedit, intimique commercii. Tantum tamen abest, ut hoc ipso voluntatis libertas constringi coarctarique possit, ut potius contra illud, ad quod foris corpus impellitur, iterum iterumque nitatur. Sed ad libertatem imprimis, quae dicitur a necessitate, hic digitum intendimus, quam duplicem faciunt Sapientes, alteram *contradictionis*, seu quoad exercitium *actus*, quia voluntas positus omnibus ad agendum requisitis, potest agere & non agere; alteram *contrarietatis* s. quoad
spe.

specificationem actus, qua voluntas alterutrum diverforum inadaequatorum objectorum vel eligere vel fugere potest, & vel hoc vel alio modo circa illud versari. Sic v. c. potest eligere bonum vel malum, hoc vel illud bonum, & ita agere bene vel male. Notanter hic apponunt Moralium Doctores *inadaequati* vocem. Quando enim objectum adaequate accipitur, in generaliori sua significatione & communi positum, v. c. bonum *ut sic* spectatum, (ita enim philosophantur auctores) est objectum voluntatis, adeo, ut non possit ferri in malum, quatenus malum est, seu speciem prae se fert mali, atque hac ratione non est indifferens voluntas; est tamen ad diversa bona opposita, & indeterminate propendet ad hoc vel illud bonum, licet interdum malum sub specie & ratione boni arripiat. *Conf. Rudrauff. Theol. Philosoph. p. 308.* Et in hoc cardo libertatis vertitur, seu, ut cum Philosophis loquar, indifferetiae formalis ratio consistit.

§. 3. Multi quidem sunt, qui hac in parte a nobis disident. *Des Cartes in IVta meditatione* indifferetiam in eo ponit, cum voluntas nondum intellectus ex re cognita facto iudicio, rationis quodam pondere ad objectum aliquod inclinetur, sed in suspenso sit, quid velit eligere, quidve repudiare. Sed hi cuniculi sunt, quos agit simul *de la Forge c. XI. de mente humana*, & *Heerebord. Exercit. Eth.* aliique. Et ne quid dissimulem, omnes illi, qui sacris Reformatorem favent, hanc a necessitate supra descriptam impugnant libertatem, quibus vero indifferetiam illam voluntatis non probant, sed subvertunt diruuntque. Praesidium suae sententiae in eo se invenisse putat Heerebordius cum probare annititur, suam voluntati libertatem posse constare, tametsi facta quadam determinatione, un-

decunqve etiam illa veniat, ad objectum certum ea impellatur. At vero, qui haec inter se sint concilianda, determinari ad aliquod objectum, & tamen libere id posse eligere, nondum satis quae penetrare. Quam etiam haec sit inconueniens assertio, dudum ostendit *Chamiero Slevogtus in Disp. II. de Indifferent. Volunt.*

§. 4. In diversas hic iterum abeunt sententias supra commemorati Auctores, in designando determinationis fonte, seu, ut clarius paulo dicam, unde determinetur voluntas. *Heerebordius* in partes vocat *Thomam*, qui ab ultima intellectus practici iudicio necessitatem petit, quae impellatur voluntas constringaturque, & quidem ad actus speciem. Supra vero dicto *Heerebordio* parum est, in hoc suffraganeum habere *Thomam*, altius adhuc progreditur & determinari eandem quaeque necessitatis vinculis illaqueari putat etiam ad exercitium actus. At enim vero posita hac sententia, nunquam voluntas aberraret in eligendis bonis, cum tamen non raro eveniat, ut minus bonum contra iudicium intellectus arripiat, qui certe altero, seu maiore bono, innitendum esse dictitauerat. Huc accedit quoque, quod, cum duo adsunt bona aequalia, voluntas beneficio suae, quam obtinet in eligendo, libertatis, id, quod sibi congruum videtur, apprehendit. Consuli hic ea possunt, quae habet *Venerandus Dominus Praefes* in sua prudentia morali dicto loco. Reponeret autem fortasse *Heerebordius* ex suis *Exercitat: Ethicis Exercit. XIV. §. 3.* nondum accessisse iudicium ultimum intellectus practici. Et sic iam iam concedit, suam voluntati constare libertatem, ex propositis objectis alterutrum eligendi. Neque credam diffiteri velle eundem, dari

dari talia bona, quorum neutrum praestantius altero, sed aequale utrumque. Ecquid vero tum est, quod voluntati necessitatem imponit alterutrum eligendi? certe non iudicium intellectus, qui ea aequalia esse deprehendit: quare manifestum, quod voluntas seipsam, experientia teste, determinet.

§. 5. Alii in ipso Deo ejusque praescientia compedes quaerunt, voluntati injiciendas. Et illud ipsum est inevitabilis fati monstrum, inter priscos Philosophos, quos Stoicorum nomine insignitos cupiebant, enatum, a Pharisaeis Manichaeis & Priscillianistis altum, & ad hoc usque tempus a quibusdam, nomine tantum, quod Gentilium errorem redolere videbatur, mutato, conservatum. Enim vero, hanc, cui liberum hominis arbitrium obniti nequit, necessitatem, quam Stoici ex indeclinabili rerum serie perpetuoque ordine venire dicebant, (uti *Plutarchus habet* & *A. Gellius: ille in lib. I. de placit. Philosoph. c. XXVIII. hic lib. VI. Noct. Att. c. 2. adde & Lipsium in Lib. de Constant.*) qui meliora de Deo rebusque divinis edocti, Deo & ejus praescientiae cum omnipotentia conjunctae adscriptam volunt, pari & non levi incommodo, gravique in sanctissimum Numen peccato, non dicam contumelia. Si enim id tantum apprehendit Voluntas humana, ad quod volendum perageundumque a Deo movetur, necessitateve & ejus praescientiae vi ducitur, undenam pravae illae tristesque actiones, qualescunque proh dolor! homo continuo fere committit? non certe ausim assentiri *Chrysippo*, ita apud *Gellium* loco supra allegato differenti: *Peccata hominum & delicta non sustentanda, neque condicenda sunt ipsis, voluntatibusque eorum; sed necessitati cuidam, aut instantiae, quae oritur ex fato.* Argute quidem, at frustra,
fi

si priori asserto suffragatur, *Plutarchus* hoc deprecari cupit, cum peccata negat fieri fato, tamen fato contineri. Neque ex posteriorem sententiam tuentibus puto ququam tam esse perfrietae frontis, qui aeternum Numen actionum injustarum velit facere auctorem. Quamvis quidem istud incommodi ex illorum mente haud obscure fluat. Clare enim illud ipsum evincit, quod maxime mihi placuit, argumentum a *Bellarmino* in *libr. de grat. & lib. arbitr. c. 14.* prolatum, si, inquit, ponatur ista determinatio, non poterit intelligi, quomodo Deus non sit causa peccati, & quomodo homines, qui peccant, non sint digni excusatione. Nam si Deus in omni actu positivo voluntatem determinabit & movebit ad agendum, certe etiam determinabit & movebit ad volendum furari, fornicari, mentiri, blasphemare &c. Quis autem capiat, hominem esse dignum poena, si id velit, quod Deus determinando & movendo facit, eum velle. Adde *Slevogt. Diss. II. §. 27. &c.*

§. 6. Non igitur hic per fugium restat aliud, ex hoc incommodorum periculo emergendi, quam liberum humanae voluntatis arbitrium asserere, fontem illud atque esse originem omnium actionum moralium, tum bonarum, tum malarum, nec a quoquam alio, quam a se ipsa determinari. Multa adhuc forent edisserenda de vi atque necessitate, quam inferre dicunt voluntati praescientiam divinam, sed, cum verendum mihi sit, ne ea, quae ὡς ἐν παρόδῳ dicta esse cupiebam, plagulas huic disputationi destinatas compleant, neve multitudine difficultatum, quae multorum jam torsit ingenia, obruar profus, immergarque, remove me ab his volui, cum ob iudustriam aliorum in hoc nodo evolvendo collocatam, cum primis vero *Slevogti* in *Disput. de Indiff. volunt. atque Rudrauffii* in
The-

Theolog. Philosoph. tum autem maxime ob ea, quae data promissi fide, expedienda restant, quare sublatis jam scopolis, eo minus nobis periculi erit pertimescendum.

§. 6. Duplicis autem generis vulgo causas moventes facere solent οἱ φιλοσοφῶντες; alteras προηγμένας s. internas alteras προκαταρκτικὰς s. externas : De internis, seu, quae in ipso homine sunt et suo movendi officio perfun- guntur, primo nunc erit dicendum. Inter has primo loco poni debet facultas Intellectiva s. Intellectus. Certum enim est, voluntatem esse potentiam caecam, unde fit, ut omnem suam lucem, velut Luna a sole, ab intellectu petat mutuetque. Hujus utitur consilio, svasu et ductu, non alio modo, atque Princeps sui consilarii opera, aut caecus ducentis oculo. Et illud ipsum praecipuum donum est, Numinis benignitate hominibus concessum, veri scil. bonique naturam perspiciendi, quo brutis antistamus. Qua de re egregius est locus apud *Senecam Epist. CXXIV.* Huc spectant quoque ea, quae habet *celeberrimus Grotius de I. B. & P. Prolegom. §. 7. de* brutorum actionibus. Quod si igitur intellectus tanta polleat vi, tantaque perspiciendi veri bonique efficacia, quanta ad propositi objecti naturam requiritur, (quanta tamen per rationem imbecillitatis mortali- um esse potest) hinc solet evenire, ut voluntati obscuri- tate tenebrisque laboranti vel bonitatem vel malitiam proponat, idque omne ceu in speculo sistat, quam *poten- tiam* vocant *Moralistae repraesentativam.* Neque vero hoc perfunctus officio acquiescit intellectus, sed longius progreditur, veritates scil. objectorum diversorum se offe- rentium expendendo, rationes bonitatis et malitiae com- parando, atque in media fini proposito congrua maxime & idonea inquirendo, quam deinde salutant *potentiam*

B

judi-

judicativam. Præclare hanc in rem *Aristoteles Lib. III. de anima t. 46.* ὁ νῦν θεωρητικὸς ἔδεν νοεῖ πρακτὸν, ἔδὲ λέγει περὶ Φευκτῶ καὶ διωκτῶ ἔδεν. *Intellectus nihil eorum, quæ sub actionem cadunt, contemplatur, neque dicit omnino quicquam, an sit fugiendum, an persequendum.* Propterea, non satis habet Intellectus de præstantia objectorum atque de eorum natura judicasse, voluntatiqve ea omnia commonstrasse, sed & tum maxime agit consiliarium, cum morali modo, additis rationibus eandem allicit, hortatur aut dehortatur, svadet aut dissvadet. Nec vero hic a partibus eorum stare cupimus, qui intellectum effective concurrere ad actum contendunt, uti ignis effective concurrat ad calorem, quia eundem facit: hoc enim si esset, non voluntas appeteret, sed intellectus, atque ita vices duarum potentiarum permutarentur, quæ tamen non possunt nec debent: Id tantum asserimus, moveri voluntatem ab intellectu morali modo, per rationes i. e. svadendo aut dissvadendo. Et certe, multum hac in re potest Intellectus, cum voluntas per se boni cupidine ducatur, (nam malum nunquam sub ratione mali amplectitur) quapropter fieri non potest, quin deinde illius boni, quod convenientissimum judicavit intellectus, desiderium magis accendatur. Egregie hanc rem excussit Des Cartes, cujus sententiam explicuit *de la Forge, de mente Hum. c. XI. §. 14.* ita dicentis: *Mibi videtur certum esse, ex magna luce in intellectu sequi magnam propensionem in voluntate. Ita, ut, quamdiu clarissime videmus, rem aliquam nobis esse convenientem, difficillimum sit, imo et, ut credo, impossibile, quamdiu manet ista cogitatio, ut desiderii nostri cursum teneamus.* Hic autem probe esse attendendum monemus, quod &

&

& supra non subobscurè factum esse censeo, voluntatem ab intellectu non tam moveri ad exercitium, quam ad speciem actus. Tantum abest, ut hic illam ad eliciendum actum movere possit; ut potius in hoc ipso intellectus voluntati obsequium praestare debeat, atque cum velit, ut alicujus rei naturam indaget, deque ea judicet, subterfugere non possit, & cum nolit eadem, acquiescat & iste. Sed tantummodo movet ad speciem actus, i. e. ut talis vel talis actus insequatur, necesse est, ut finis seu objecti notitia atque judicium praecedat in intellectu, qui voluntati istud proponit, a quo deinde, ceu a causa sua formali externa, atque termino ad quem, ut loqui amant Philosophi, actui isti species assignatur. Itaque, motivum Intellectus uti conditio sine qua non ante requiritur, quam se bono aut veritati jungat voluntas. Saepe quoque ac multum evenit, ut mens nostra non recte partes judicandi subeat, tum vero maxime, cum neglecta debita inquirendi solertia, vel aliqua morbo oppressa, vel etiam ab affectuum sensuumque impetu praepedita, in errorem deflectit, sinistrumque de rebus perspiciendis fert judicium. Quare, ut male oculo affecto totum in tenebris oberrat corpus, affirmante Servatore, atque speculum male conformatum distortas repraesentat oculo imagines; ita voluntas errantis ducis vestigio inhaerens in errores praecipua dubio procul devolvitur. Apponi hic merentur verba, Des Cartes, quae habet *de la Forge l. c. 2. §. 5. Ad bene agendum sufficit bene judicare. Nam si intellectus nihil unquam exhiberet, nisi quod ita clarum & evidens est, ut de eo non possit dubitare, nunquam etiam voluntas in sua electione posset errare.* Ita verum esse assertum autumo, si

semper id, quod proponit intellectus, apprehendat voluntas.

§. 7. Magna quoque movendi voluntatem vi efficacique gaudet saepius repetita actio, seu consuetudo, quam Philosophi habitus nomine intelligunt. Si enim ipsa bruta, quae tamen rationis sunt expertia, ad quasdam actiones, quod sane mireris, perficiendas, crebro exercitio asuehieri possunt, ita ut in propositum objectum per naturam quasi ferri videantur: quid frequentius exercitium & crebram actionem in ratione donatis efficere posse putamus? Videri potest *Puffendorff. lib. I. c. IV. §. 6. de J. N. & G.* Quid consuetudo possit, quantaque ei insit vis, clare Lycurgus Spartanis suis iuit demonstratum, duabus illis canibus, una quidem matre prognatis, sed diversa ratione innutritis & altis, qua de re consuli potest Epitoma-
tor Trogi Pompeji. Eandem ferme, ut in brutis, tyrannidem exercet consuetudo in movenda hominum voluntate, nisi homo rectae rationis moderamine adhibito illam ipsam coerceret ac frenaret. Fatendum tamen est, non exiguae difficultatis esse negotium, enatam asuefactione proclivitatem vel corrigere vel plane exuere velle. Nonnunquam contingit, ut etiam ratio succumbat, eique praevaleat consuetudo, velut undae fluminis, quae & fortiores & frequentiores eum in locum profluunt, quo vel rupto aggere semel exitum habuerunt, vel moles eis arcendis est objecta. Atque uti per aliquot annos usitata consuetudo tandem in legem abit; ita & illa voluntatem, cum se ejusmodi objectum obtulerit, aut commoda consuetarum suscipiendarum occasio, velut legis in morem instat, jubet, urget, irritat, & quodammodo trahere videtur, id quod etiam animadvertit *Aristotel. eapropter lib. VII. de*

de

de moribus ad Nicomachum ita loquitur, Evenum vetu-
 stum Poetam secum consentientem adducens: μελακινῆσαι
 ἔθ' χαλεπὸν, ὅτι τῇ φύσει ἔοικεν, ὡς περ καὶ Ἑὺην λέγει
 φημὶ πολυχρόνιον μελέτην ἔμεναί Φίλε. καὶ δὴ
 ταύτην ἀνθρώποισι τελευτῶσαν φύσιν εἶναι.

§. 8. Ordo me jubet, ut, quam passiones animi,
 quas affectus vocant, in impellenda voluntate vim obtine-
 ant, brevibus exponam. Neque vero eam litem nunc
 meam facio, quam sparsit fanaticum quoddam hominum
 genus, utrum revera existant affectus, cum experientia im-
 primis partes meas agat, vesanaeque stultitiae hos contra
 solem loqui audentes homines, satis convincat. Exempla
 ἀπαθείας ab Auctoribus prodita, quippe de Socrate Grae-
 co, de Mutio, Catone Romanis, de Philippo Rege Hispa-
 niae *ap. Fam. Strad. Dec. II. l. IX.* uti perrara sunt; ita, ceu a
 communi regula non nihil deflectentia, hic merentur ad-
 notari, neque tam defectum affectuum, quam eorum oc-
 cultationem, seu dissimulationem probant. De iis vero,
 quae & de affectibus in genere, eorumque natura, ortu
 & sede dici possent, nunc nos composito abstinemus, tum
 ob rei explicandae perplexitatem, tum vero maxime, quod
 a scopo nostro parumper alienam doctrinam ad nos non
 pertinere arbitrabamur. Insignem iis explicandis operam
 navavit ante collaudatus vir *Des Cartes*, totumque *de passi-*
onibus animi opus confecit, cum quo conjungi possunt na-
 turalium rerum scrutatores passim. Illud autem ipsum
 certo est certius, has commemoratas animi agitationes
 immane quantum, ipsa experientia teste, movere animum,
 ejusque praecipue facultatem appetentem ad objectum
 amplectendum, aut actionem suscipiendam. Quanta e-
 nim non commotione saepenumero concutitur totius

corporis compages, omnesque artus & membra? unde anima, ob intimum, quod cum corpore habet commercium, libera esse ab quadam mutatione non potest, id quod etiam quotidie in nobis fieri deprehendimus, (licet eo, quo istud fit modo, nobis sit incognitum) ut commotiones illae aliunde rapiant quasi trahantque voluntatem, ea propter gravi de causa Tullio furiae sunt dictae, quod hominem non leni quodam modo ad id, quo inclinant, ducere, sed furente impetu abripere, instar Harpyarum, videantur. Quamvis quidem omnes satis sint vehementes hae commotiones, non tamen ab ulla quapiam tam videtur obcoecari intellectus iudicium, trahi que impetuosius voluntas, quam ab iis, quae ex ira veniunt. Non enim tam molestum est homini, suae tantum conservationi intento, indigere alicuius boni fruitione, quam sibi nocitura, atque ad sui destructionem tendentia excipere aut subire. Conferri hic possunt, quae habet ea de re *Franciscus Piccolom. in sua philosoph. de moribus c. XXXIII. grad. I.* Neque tamen tam sunt impetuosae hae tempestates coortae, ut omne plane rationis imperium aspernentur. Equidem non est diffitendum, saepe easdem frenum mordere instar equi recalcitrantis. Uti vero ferocissimos quoque equos in gyrum reducere eosque coercere novit peritus Magister; ita & hae moderamen rectae rationis, quantumvis nitantur contra, evitare nequeunt aut declinare. Huc pertinet, quod *Tullius Offic. lib. I. c. 39.* monet; *Multo, inquit, magis elaborandum est, ne animi motus a natura recedant:* (nam de motibus corporis prius ipsi fuerat sermo) *quod assequemur, si cavebimus, ne in perturbationes atque exanimationes incidamus, & si attentos animos ad decori*
con-

conservationem tenebimus. Unde nobilissima illa; com-
muni sapientum opinione, est victoria quam quis de seipso
reportat, & sane affectus domuisse *suprema consummatae*
virtutis linea est, ait *Avancin. Pater Ignatianus Or. IV. Part.*
III. unde conficitur, quod, etiamsi istae actiones hominis,
vi affectuum ad easdem permoti, quandam in foro hu-
mano habent excusationem, omnis tamen cessat in consci-
entiae foro. Movent enim affectus voluntatem, irritant
atque impellunt, non vero cogunt. Adde, quae hac de
re disputat *Grotius Lib. II. de Jure B. & P. c. XX. §. 29. n. 2.3.*

§. 9. Ut vero memor sim instituti mei, paucis nunc,
quid efficere temperamentum corporis possit, persequar.
Quadruplicis vulgo generis faciunt temperamenta philoso-
phi; Sangvineum, quod homines laetos atque agiles; cho-
lericum, quod ad iram proclives & violentos; melancholi-
cum quod tristes & morosos; phlegmaticum, quod timidos
reddat. Atque haec inter se invicem penitus permisceri,
confundi & deinde pro unius vel alterius redundantia ani-
mum hominis inclinare asserunt. Ab hac autem vulgo re-
cepta opinione quodammodo discedere videntur illi, qui in
exploranda corporis humani structura operam collocant
atque industriam, de qua quidem sententia nunc me re-
moveo, meumque impraesens suspendo Judicium, nemo
tamen, ut credo, unquam hoc inficias ibit momentum,
quod animis hominum accedere solet ex constitutione ha-
bituque corporis. Nihil anima perficit corpori adhuc
juncta, sine membrorum corporis ministerio, nihil cor-
pus sine animae auxilio, tam intima tamque arcta est col-
ligatio animae & corporis. Quippe infantum animae, non
minori, quam adultiorum, gaudent agendi virtute: quod ve-
ro ejusmodi, quae ab adultioribus fieri solent actiones, ab
in-

infantibus non sperari possunt, id non ab incapacitate animae, sed nondum apta organorum venit dispositione. At, nequaquam hic ea adjumenta atque media, quae in formis educandisque liberis adhiberi solent, excludimus, de quibus egregie disserit *Plutarchus*, in peculiari libello. Non incongrue quoque me affirmare posse autumo, omnium hominum animas neque vi intelligendi, neque volendi inter se differre, sed uti substantiae immateriales et rationales sunt; ita nec hujus vel illius animam excellentiori quodam rationis gradu aliorum antecellere aut eminare. Ecquid igitur causae est, quaereres, aut undenam illa innumerabilis varietas inclinationum, studii, propensionumque? Certe, cum eaa multis aliis causis, tum quoque maxime a corporum dispositionis habitusve diversitate oriri solet. Neque vero haec ex me loquor: habeo enim, praeter alios, consentientem ipsum *Aristotelem*, quando *Metaph.* cont. 10. dicit: formam non recipere magis & minus, nisi quatenus in materie recipitur. Non multum ablu- dit *Cartesius* in *dissertatione de Methodo* statim in limine: *Vim incorrupte judicandi, & verum a falso distinguendi: (quam proprie bonam mentem seu rectam rationem appellamus) natura aequalem omnibus nobis innatam esse credo. Atque ita nostrarum opinionum diversitatem, non ex eo manare, quod simus aliis alii majori rationis vi donati, sed tantum ex eo, quod cogitationem non per easdem vias ducamus, neque ad easdem res attendamus.* Neque videtur a nobis esse dissentiens *Cicero* in *Tusculan.* 1. p. m. 222. edit. *Camer.* quo in loco sententiam *Platonis* refutaturus, mortalitatem animorum ex ingeniorum similitudine filiorum cum parentum probantis, ita disserit: *Ipsi animi, magni refert, quali in corpore locati sint. Multa enim e corpore,*
exi-

existunt, quae acuant mentem, multa quae obtundant. Ex his intelligi potest, vim ingenii, perspicaciamque, quae Homo interdum alteri antecedit, non ab animo venire, sed praeter alias causas, maxime a temperamenti varietate & materiae diversimode dispositae. His quoque rationibus adductae mulieres Spartanae, quae, ut acriores redderent infantum animos, non aqua sed vino corpora lavasse legimus, haud dubie existimantes, non melius animo posse consuli, quam corpore diligenter ac probe curato. Sed vero, haec neutiqvam ideo a nobis dicta esse velimus, ut quis exestimet, animum ab eo, quo inclinatur aut impellitur a corporis constitutione, non servari aut abduci posse. Quae in opinione olim fuit *Galenus Medicus*, qui libello in vulgus emissio probare annisus est, mores hominis esse semper conformes corporis constitutioni, ὅτι τὰ τῆς ψυχῆς ἤδη ἔπεται τῆ τῆ σώματος κράσει. Hunc, cum pertinaciter defenderet errorem, non effugit multorum contradictionem, multosque habuit, qui ei restiterunt, nec sine ratione, imprimis cum hoc pacto animos non nisi foeda corporum faceret mancipia, & voluntatem, quam liberam esse supra ostendimus, compedibus a corpore injectis constringere non minus irritum quam falso moliretur. Omitto impraesens, quae copiose hanc super rem possent dici, cum resarciri, ut opinor, queat dicendorum defectus & a *Piccolom.* supra allegato *cap. XXVIII. XXIX. & XXX. grad. prim.* abunde hac de re differenti, & a *Libenthelio Exercit. IV. quaeest. 5. Colleg. Eth.* tum exemplis, cum rationibus Galeni sententiam convellente. Et ita, ne longius a proposito discedam, satis existimo a me dictum esse de pondere, quod habet corporis constitutio ad movendam impellendamque voluntatem.

§. 10. Solet etiam non modo in quibusdam fami-

C

§. 10.

liis, sed integris tantum non nationibus esse peculiaris
quaedam ingeniorum dispositio, quae multum momenti
adfert ad voluntatum inclinationes in certum actio-
num genus. Illa ipsa, uti variis orta videtur causis; ita
quoque non levem saepe excitat admirationem, cum ob
ingeniorum similitudinem, tum vero maxime actionum
propensionumque. Certe, ita omnino est, ut quaelibet
gens peculiaribus non minus vitiis, quam virtutibus excel-
lat, & moribus quibusdam propriis ab alia sese distingvat.
Sic Graeca & Punica fides male olim apud antiquos audi-
ebat. Romanis vero magnae id fuit laudi, quod a data se-
mel fide ac jurisjurandi religione nunquam recesserint,
qua de re multa recensuit exempla Romanarum laudum
rerumque gestarum praeco *Livius*. Atque id singulari
quodam fato contigisse videtur, ut Romani imperii ejus-
que gloriae partae propagator ac heres esset perpetuus il-
le populus, a servata foederum dataeque fidei religione
prae reliquis semper praestans ac clarus. Praeterea qui-
dam populi laborum sunt patientes, quidam non, mites at-
que lenes alii, alii feroces. Neque minor saepe propen-
sionum ad studia & literas similitudo apparet. Speculati-
onibus Astronomicis se delectarunt Chaldaei, quos multum
in his juvasse autumat Tullius situm illius regionis planum,
nullis montibus observantium visum intercipientem. Grae-
ci e contrario operam dabant eloquentiae, aut cogitationi-
bus moralibus, aut physicis. Compendium dicendorum
hic esse poterit *Icon Animorum Jo. Barclaji*, qui praecipua-
rum gentium ingenia atque mores satis ingeniose expli-
cuit, cum quo conjungi meretur *Huartus in Exam. Ingeni-
or.* & tandem *Baco de Verulam. in Libro de Augment. scient.*
qui hoc caput *Georgica Ingeniorum* appellavit. Egregie
quoque ac erudite differit hac de re *Morbofius in Polyhist.*
Lib.

Lib. II. c. 1.2.3. Mirum vero in modum, ut ingeniorum vel varietatis vel similitudinis causas exquirent, desudarunt tum veteres, tum recentiores Philosophi, vix tamen dubitationis invenerunt exitum. Catervam inter se disceptantium allegavit *Picolom. cap. V. grad. 2.* A sidere vel daemone, instar Rectoris cuique hominum assignato, illam venire autumat divinus ille Plato, tantum divinis & abstrusis rebus sese delectans. Neque vero plane diffitendum est, vim quandam eamque non exiguam in haec inferiora exercere sidera, id quod, cum satis comprobatum sit, confirmatione haud indigere videtur. De solis vi atque efficacia inter omnes constat, de lunae tantum inter se disceptant Physici, quantum virtutis, quantumque roboris, quo ea orbem terrarum tangat, ei debeat adscribi, & quid in aestu maris efficere possit. Verum, cum haec decidenda aliud forum sibi tribuat, tantum moneo, ut, qui solidiora aliud forum sibi tribuant, tantum moneo, ut, qui solidiora cupit, adeat *Bernbardum Varenium*, harum rerum peritissimum Anglum, in sua *Geographia*, quam, praeter lapsis aliquot annis, annotationibus egregiis auxit & illustravit *Isaacus Nevvtonius* itidem Anglus Mathematicarum rerum perquam gnarus. Vindicanda sunt ea sideribus, quae debent, non omnia, quae in his terris fiunt. Nam ea, quae solius Dei sunt, astris adscribere, aut actionibus, quae a voluntate humana proficiscuntur, tum bonis tum malis astrorum vim necessitatemque praetendere velle, omnino impium est, uti rectissime iudicavit *Cornel. Agrippa de Vanit. Scient. c. 31. p. 143.* Multas certe inducunt mutationes sidera, maxime vero sol aeri praecipue nos ambienti, re ipsa enim comperimus nos segnes atque ineptos reddi ad actiones ab aeri, quem respirando intra nos recipimus, densitate, quae corpora nostra premit, motumque spirituum anima-

lium aliquatenus impedit sufflaminatque, id quod plerum-
 que accidere solet a nubeculis, radios solis intercipientibus,
 qui ad crassitiem aeris dispellendam disjiciendamque mul-
 tum valebant. Unde istae regiones, quas vel perpetuae
 vel crebriores infestant hyemes, minime tam sunt foecun-
 dae subtilium ingeniorum, atque illae, quas mitior tempe-
 ries coeli & clementia aspicit, qua ex re putat Gale-
 nus esse factum, quod apud Scythas unus tantum extite-
 rit Philosophus Anacharsis, cum Athenis plurimi, & apud
 Abderitas multi fatui, Athenis vero perpauci. *Piccolom. c. 28.*
grad. I. Solent vero nonnunquam aliae causae accedere,
 quae hoc ab aere imminens malum elidunt atque aver-
 tunt, & scite admodum differit Poeta, non omnes, qui
 benigniori coelo fruuntur, acuto esse ingenio, nec omnes
 obtuso, qui inclementiori, autumans, sed
Magnos saepe viros & magna exempla duros,
Vervecum patria crassoque sub aere nasci.
 Apponi meretur Tullii locus, qui habetur in *Lib. II.*
de divinat. Etenim, inquit, videre licet acutiora ingenia, &
 ad intelligendum aptiora, eorum, qui terras incolunt eas, in
 quibus aer sit purus ac tenuis, quam illorum, qui utuntur
 crasso coelo atque concreto. Quin etiam cibos quo utare,
 interesse aliquid ad mentis aciem putant. Cibus enim & po-
 tus, qui ad corpus nutriendum conservandumque adhiben-
 tur, varios in corpore gignunt humores, massamque san-
 guinis mire temperant atque disponunt. Quapropter
 nullum est dubium, quod corporis dispositio variis cibis &
 potulentis innutriti, animum ad quosdam actus propen-
 dere faciat, qua de re videri possunt ea, quae habet *supra*
collaudatus, ac nunquam sine edito pietatis testimonio com-
memorandus Dn. Praeses, in sua prudent. morali part. II. §. 23.
 Addi possunt, quae disputat *illustris Puffendorff, lib. I. de I.*
N.

N. G. r. 4. §. 8. de Ebrietate, & de fumis opioque, sangvi-
nem spiritusque animales perturbante ac impellente. Con-
ferri quoque possunt ea, quae leviter a nobis dicta sunt
§. 9. de temperamentis.

§. II. Quemadmodum vero, ut supra nobis est ob-
servatum, non exiguam vergentiam ad certum actionis ge-
nus affert voluntati corporis temperatura, quae vel a natura
cuique accidit, vel a victu vel a soli aerisque conditione pro-
venit; ita sane haud leve momentum habet robur istud va-
riis medicamentis conciliatum. Ei rei sunt indicio, tum ce-
tera omnia medicamenta, tum vero maxime potus illi a-
matorii, qui philtorum nomine vulgo venire solent, quae
iis infunduntur plerumque, quorum amorem in se provo-
care praeoptant alii. Sic enim humores sangvinemque in
corpore agitant potus illi, motionibusque turbulentis con-
citatis corpus vexant, affligunt atque irritant, ut facile in-
telligi queat, voluntatem ab his commotionibus non in-
tegram posse servari, sed simul continenter urgeri atque ad
libidinem incitari. Quamvis quidem illi meli non im-
miscere, aut jamjam motum decidere velim, quo pacto
mens humana, facta a veneficis incantatione, aut chara-
cterisatione, affici & moveri queat ad certum aliquem a-
ctum, cujus rei exempla tum *apud del Rionem*, tum apud a-
lios, qui de magicis rebus commentati sunt, passim adno-
tata leguntur. Longe tamen alia est ratio philtorum,
quae hauriuntur atque cum sangvinis massa permiscentur:
hic svadet omnino copula illa, qua anima & corpus intime
sunt connexa & colligata, ut credam, maxime & animam
ab illa humorum in corpore & sangvinis, quod vehiculum
animae est, commotione tangi atque urgeri. Nec raro
contingit, ut labefactata his potionibus valetudine, mens de
sua quasi sede deturbetur, hominesque illi furore quodam

abripiantur. Neque id aliter fieri potest, organis, per quae mens agere solebat, vel corruptis, vel debilitatis, viribusque imminutis. Unde *Ovidius*,

*Nec data profuerint pallentia philtora puellis,
Philtora nocent animis, vimque furoris habent.*

De his plura videri possunt, tum apud Medicos, tum apud alios, qui fusius hanc materiam tractarunt, utpote, *Caelius Calcagninus*, integro libro de *Amatoria Magia*. Del Rio, qui rectissime *Lib. III. part. I. quaest. 3. Wierum* castigavit, voluntatem cogente vi ad actus illos amatorios impelli, statuentem, contra omnem veram philosophiam & rationes.

§. 12. Sed nunc tempus est, finem his dictis facere, atque ea paucis exponere, quae extra hominem sunt, quae voluntatem ejus movent. Praeter concursum Dei seu causae universalis s. primae, cum particulari s. secunda ad unum actum & effectum producendum, alium *D Thomas* probare annititur, *I. part. quaest. 105. art. 4. & 2. quaest. 9. art. 4. & 6.* ubi diserte Deum voluntatem hominis movere asserit, neque enim eam, nisi ante a Deo motam & excitatam agere posse putat, idque eam praecipue ob causam, quod, cum voluntas ante est in potentia tantum ad agendum, non possit seipsam ad agendum movere, ne scilicet illud absurdi videretur sequi, quod fuisset in actu, dum esset in potentia, cum nihil moveatur nisi ab eo, quod est in actu. Et ne libertati, quam obtinet voluntas, non nihil detraxisse videatur, ita suae sententiae cupit consulere, quando *1. 2. quaest. 10. art. 4.* dicit, quod Deus res s. causas moveat modo naturae convenienti, & cum voluntas non sit facultas determinata ad unum, sed indifferenter se habens ad multa, ita Deus quoque moveat ipsam non determinate ad unum certumque objectum. Quamvis quidem meum non sit, Angelico Doctori temere repugnare, si tamen dicere auserim, quod sentiam, ab hac sententia paulatim discesserim, rationibus maxime, quas *Eustachi-*

us a sancto Paulo in Philosophia summa habet part. II. tract. 2. qu. 3.
per motus. Equidē non negandum est, extra ordinem nonnunquam
Deū hominī auctore fuisse ad peculiarem actionem suscipiendam,
cui rei indicio multa sunt exempla in sacro codice, non tamen, quae
Deus interdum peculiari influxu praeter a se institutum ordinem
facit, semper facit. Accedit, quod Thomae opinione, quanta vi et-
iam nitatur contra, doctrina de libertate arbitrii latefactatur.

§. 13. Non plane me erraturum esse opinor, si nonnullam quoque An-
gelis tum bonis tum malis vim persuasionis assignavero, quae iden-
titem a voluntate id impetrare solent, ut ad alteram partem incli-
net deflectatque. Licet mentium maxime bonarū potentia permagna
sit tantam tamen non eam putarem, quam ipsis *Le Grand* tribuit in
suis operibus Philosoph. Speciatim in Daemonolog. illam videlicet
in interiores hominum cogitationes penetrandi perspicaciam,
atque tunc easdem vel immutandi vim, Numini ceteroquin sum-
mo duntaxat propriam. Per indicia quidem externa, quae
prae se ferunt homines, quodammodo colligere queunt atque
indagare mentis sensa, eademque fortius deinde urgere, exter-
nis scilicet objectis propositis, occasioneque meditata efficiendi
subministrata. Tres facit classes rationum *Eustachius in sum-
mae philosophiae Tract. II. quaest. 2.* quibus angelorum in vo-
luntates hominum agendi potentiam confirmare est conatus.
At vero in eo, cum existimat, ab angelo bono intellectum homi-
nis majori luce collustrari, non adduci aut a me impetrare potui, quin
ipsi assentirem, propterea, quod non agere potest immediate in
mentem humanam. Quamvis potentiam iis non denegaverim,
speciem illam rei percipiendae ita accommodandi, ut captui huma-
no quam maxime sit congrua & perceptu perquam facilis. Et ea quo-
que virtute pollent omnes angeli, tum boni tum mali, hi tamen
solum, cum Deus permittit, humores in corpore humano spiritus-
que animales excitandi, agitandi, & ex hac deinde agitatione varias
imaginationes & species menti repraesentandi, quae postea in volun-
tate ad certum quoddam objectum varias propensiones inclinatio-
nesque per facile efficiunt. Sed longum hic nimis esset, tanta proli-
xitate, quae, ob materiae ubertatem, debebam, nunc omnia persequi,
praesertim, cum commoda se offerat occasio veterum per volven-
di monumenta, in quibus multa hac de re sunt disputata. Videri

in-

interim potest *del Rio in disquis. Magic. speciatim Lib. II. quaest. 42.*
Caspar Peucerus de divinac. generibus, & modo commemoratus Auctor sum-
mae philol. l. c. aliive, qui de daemonum natura rationibusq; sunt commentati.
§. 14. Huc quoque facere arbitror auctoritatem & exempla, quae quasi sti-
muli sunt & calcaria, quibus per moventur incitanturque animi, ad eadem,
quae ab aliis tentata vident, suscipienda, expediendaque. Illud ipsum obser-
vari potest, cum monumenta historicorum excutimus, speciatim, quae de Ro-
manorum originibus & rebus eorum gestis concinnavit *Libius, & Plutarchus*
in vitis parallelis.

§. 15. Cum vero homines naturali quadam rerum novarum ducantur cu-
pидitate, praecipue vulgus imperitum, uti praeclare judicat *Sallustius in Lib.*
de bello Jugurthino; ita saepius evenit, ut res novae voluntati objectae ean-
dem ad certas quasdam actiones impellant alliciantq; *Nobitas consuevit ad re-*
pentinas visiones animum hominum pellere, inquit Apulei. Lib. IV. metamorph. no-
va modo placent, antiqua sordescere quasi videntur, id quod, etiam animad-
vertit *Timotheus Milesius apud Athen. lib. III.*; cum in modum loquens:
Καινα καὶ ἄμα κρείσσω. Νεὸς ὁ Ζεὺς βασιλεύει. τὸ παλαιὸν δὲ ἦν
κρόνος ἀρχῶν. Praestantia quidam nova. Jupiter quib; Jovenis est, regnat. olim
Saturnus imperabat. Et eam quoque praecipuam esse causam existimem, &, ut
credam, facile tum experientia, tum doctorum sententiae me movent, quod
tam crassi saepe errores in tam brevi temporis spatio invalescant, totque inve-
niant patronos ac propugnatores, studio enim novitatis abrepti homines, tan-
tum illud, quod novum apparet, accipiunt, aut quae speciem novitatis forte
sint habitura, agunt.

§. 16. Nec hoc praeteribo pondus, quancquam leve nonnullis visum iri pu-
tem, quod in impellendis permovendisque animis obtinere solent praecipua
s. praconceptae opiniones, & superstitio plebeiorum. Certe nulla res fortius
efficaciusque eosdem incitare potest, quam illa ipsa religionis opinio & super-
stitiosa persuasiva inis reverentia ac veneratio. Ea permovebat Athenienses,
ut *Anaxagoram*, cum solem, quem omnes pro Numine summo
atque immortali venerabantur, *μύδρον διάπυρον* vocaret, ex urbe ejice-
rent, & multa quinque talentum damnarent. *Laet. lib. 2.* Tantum in
plebeiorum animis vim intelligebat *Numa Pompilius Romanorum Rex*, ea-
propter se suas ab *Aegeria Dea* leges accepisse prae se ferebat, atque cum *Mu-*
sis in luco quodam colloquium habuisse, ut hoc specioso praetextu rudis vulgi
reverentiam confirmaret magis atque augeret, tantoque faciliori negotio a-
nimos effrenes coerceret, divinam legum originem mentitus, uti consigna-
tum id nobis in monumentis suis relinquerunt *Dionys. Halicarnas. II. 8. & Li-*
bius in Numa. Neque nos dubitare sinit illud, quod de *Aquilejensibus* prodi-
tum est a *Capitolino in Maximin. c. 22.* qui jamjam unanimi consensu decreve-
rant, ut se *Maximino*, urbem tunc obsidenti, traderent, citra tamen opinionem
id ab illis obtinuit homo quidam, cujus nomen erat *Menophilus*, ut animū mu-
tarent, *Dei Beleni* adversus *Maximum* auxilium, per augures promissum *Aqui-*
lejensibus, praetendens. Atque ita, sepositis iis, quae adhuc forent edifferen-
da, laborem nostrum obsignamus, gratias aeternas persolventes
Deo Immortali.

Coll. diss. A. 38, misc. 10